

nici Ecclesiæ non numeratæ, jus novum quodammodo creatur, quod nascitur cum electione novi Canonici, et desinit cum Canonicus demoritur. Hinc transacto semestri jus designandi novum canonicum non devolvitur ad Superiorem *c. 10. h. t.* Verum negligente nimium collatore ordinario, si Ecclesia facultates habeat canonicum sustentandi; ex intentione juris expressa in *c. 1. De inst.* ubi decernitur, tot esse destinandos canonicos quot Ecclesia alere possit, potest superior præfinire terminum eidem collatori ordinario, ut ipse secundum Ecclesiæ consuetudinem provideat eam de novo Canonico; quo elapso ipse superior supplebit negligentiam collatoris ordinarii.

21. Huc referri potest Const. Greg. XIII. *'Humano vix iudicio'* ex qua habemus Episcopum posse conferre beneficia quæcumque liberæ collationis quæ vacaverint per renunciationem coram se factam etiam in mensibus papalibus. Collatio autem hæc facienda est intra mensem et provisos intra tres menses debet eam publicare, et possessionem accipere. Quod si hæc duo tempora non serventur, provisio beneficii Papæ reservati nulla est, et beneficium a Summo Pontifice confertur.

22. Si beneficium sit electivum distinguendum est. Si est prælatura regularis vel prælatura principalis Ecclesiæ Cathedralis scilicet si eligendus sit Episcopus vel Abbas ordinariam habens jurisdictionem, tempus utile electionis perficiendæ est trimestre *c. 41. et 42. De elect.* Si vero est beneficium minus, tempus utile ad eligendam personam est semestre *c. 12. h. t.*

23. Si beneficium est patronatum, Patronus ecclesiasticus habet semestre ad præsentandum, laicus vero quadrimestre. Ita in *tit. 38. De jurepatr.*

24. Adnotanda vero sunt. 1º. Hoc tempus quod conceditur pro conferendo beneficio vacante non decurrere ignorantibus; scilicet sive trimestre sive quadrimestre, sive semestre incipit decurrere a die habitæ notitiæ vacationis: nec corrui legitime impedito *c. 5. h. t. et c. 3. De suppl. negl. Prælat.* 2º. Hoc autem tempus ex quo decurrere incipit, est continuum, scilicet currit etiam diebus feriatis, et de die ad diem computatur. Hæc dicta sint de concessionem præbendæ vacantis de jure et de facto.

25. Quid si vacaverit de jure solum præbenda, idest de facto ab aliquo detineatur? Ex dispositione *c. 6. h. t.* inspiciendum est, utrum possessio sit colorata; idest ex titulo colorato habita, vel

non. Si primum, fieri potest ut ex ea enatum sit jus seu titulus beneficii, quemadmodum si possessio fuerit triennalis. *Regul. 36. Canc. Apostolicæ.* At si jus hoc non fuerit enatum, poterit beneficium conferri, quemadmodum etiam beneficium conferri poterit quando notum sit, possessionem esse prorsus illegitimam seu neque coloratam. At citari debet semper possessor ut rationes suas deducat. Quod si possessor vel defecerit in illis exhibendis, vel non comparuerit tempore utili, a possessione ejicitur et beneficium alteri confertur.

TITULUS IX.

Ne sede vacante aliquid innovetur.

1. Nomine sedis præcipue intelligitur Ecclesia Cathedralis, seu Episcopalis; ea enim proprie appellatur sedes; idque docet *c. 1. h. t.* At ob similitudinem juridicam, nomine sedis veniunt etiam abbatia, præpositura, aliæque dignitates quæ reguntur a prælatibus ecclesiasticis jurisdictione præditis *c. 41. De elect.* Immo ex *glos. in c. 1. De reb. Eccl. non alienand. in 6.* in sensu tituli nostri vocabulum *sedes* ad beneficia etiam minora extenditur.

2. Sedes autem vacare dicitur cum Cathedralis Ecclesia vel beneficium careant proprio rectore sive titulari sive commendatario. Dicimus *sive commendatario*; nam hodiernis moribus concessio beneficii in commendam æquiparatur concessioni in titulum. Si quærat quoadusque vacare Ecclesia vel beneficium censeatur, distinguendum est. Si sermo sit de sede episcopali, censeatur vacans quoadusque literæ apostolicæ de novo Episcopo promoti vel confirmati in curia Romani Pontificis non fuerint præsentatæ Capitulo Cathedralis Ecclesiæ. Idemque dicendum de sedibus abbatialibus, de prioratibus etiam regularibus, quorum provisio pertineat ad Sedem Apostolicam. Utramque dispositionem habemus in *extr. 1ª. De elect. inter comm. § Præsenti*, in qua decernitur, Episcopos aut alios prælatos electos aut confirmatos in curia Pontificis non posse absque literis Apostolicis accedere ad suas Ecclesias, et administrationem bonorum suscipere, nec ab aliquo recipi posse, et obedientiam exigere ante ostensionem literarum ipsarum. Hanc dispositionem renovavit et explicavit Pius IX. in *Const. Rom. Pontifex edita V. kal. Sept. 1873*, cujus summam exhibuimus in *tit. De elect.*, cum ageremus de juribus electi ad prælaturam vacantem.

3. Quod si agatur de aliis beneficijs quorum collatio aut confirmatio non perficitur in curia Pontificis, vacare censentur quoad usque eorum titulus et possessio non fuerint a Prælati jurisdictionis collata.

4. Sede autem vacante nihil est innovandum. Ecclesia enim æquiparatur minori *c. 3. De in integrum restit.*, quæ proinde curatore suo indiget seu legitimo defensore, qui alius non est, quam rector illius. Quare sedes vacans censetur carere defensore suo *c. 1. h. t.* Cum vero iniquum censeatur, pupillum vel minorem præjudicium tolerare debere ob tutoris vel curatoris deficientiam; hinc a jure ecclesiastico, sede vacante interdicitur innovatio ex qua sequi possit præjudicium Ecclesiæ: scilicet interdicitur innovatio per quam status Ecclesiæ innovatur aut jura ejusdem lædantur. Quare ex. gr. in *c. 1. h. t.* sede vacante prohibitum est, quominus monasterium unitum Ecclesiæ cathedrali ab ea separetur atque iterum sub regimen abbatis sui restituatur.

5. Pariter statutum est, ut sede vacante tempus inceptum præscriptionis contra Ecclesiam non decurrat *c. 4. et c. 15. De præscr.* Sub vero eadem prohibitione ne aliquid innovetur, comprehenditur etiam quidquid præjudicium affert successori. At cum hæc dispositiones a sacris canonibus inductæ sint in similitudinem juris civilis, hinc concludunt doctores, ob paritatem conditionis Ecclesiæ et pupilli, valere illas innovationes quæ in evidens emolumentum redundant Ecclesiæ vacantis. Scilicet Ecclesiæ vacantis conditio melior reddi potest non vero deterior. § 1. *Inst. de auctoritate Tutorum.*

6. Quæritur a quo et quomodo sedes vacans regatur. Cum in titulo nomine sedis vacantis veniat præcipue sedes episcopalis; hinc quæstio hæc reducit ad administrationem dioceseos. Cum vero ex dispositione sacrorum canonum sede vacante jurisdictio episcopalis devolvatur ad capitulum, et hodierno jure *sess. 24. c. 10. de Ref. in Tridentino* ad vicarium capitularem, quæstio eo reducit, ut determinetur quid possit vicarius capitularis sede vacante. Responsio generalis exhibetur in *capp. 11. et 14. De Major. et obed.* et in gl. ibi, clarius autem traditur in *cap. un. eod. tit. in 6º.* Videlicet Vicarius capitularis Capitulum representans succedit Episcopo in iis omnibus, quæ sunt episcopalis jurisdictionis ordinariæ et necessariæ, exceptis illis negotiis et juribus, quæ expresse prohibita sunt in sacris canonibus. Quænam vero sint hujus juris-

dictionis capita et quæ sint limitationes explicavimus in *lib. I. in tit. 28. De officio Vicarii*, dum egimus de auctoritate Vicarii Capitularis.

7. In specie vero aliquid dicendum est de judiciis circa negotia, vel jura Ecclesiæ vacantis. Cum Ecclesia vacans carere censeatur proprio et legitimo defensore; hinc sede vacante non solum non potest inchoari novum judicium, sed nec fieri potest prosecutio judicii jam incepti, sive Ecclesia partes habeat actoris sive rei conventi *c. ult. h. t.* Hinc sententia lata contra Ecclesiam vacantem non sustineretur arg. legis *Acta S. S. § ult. De re judicata*, quæ id statuit in causa minorum. Prosecutio vero judicii fieri potest quoties periculum sit in mora. Sic audiri possunt testes quando sunt senes, vel in periculo versantur mortis non remotæ. Sic etiam judicium institui aut continuari potest cum Ecclesia prævideatur esse diu vacatura. At semper in casu litis debet constitui Ecclesiæ curator seu legitimus defensor, qui rationes et jura Ecclesiæ sustineat. Defensor autem hujusmodi pro Ecclesiis cathedralibus a Romano Pontifice constituendus erit juxta probatissimos doctores, pro minoribus vero beneficiis ab Ordinario debet constitui.

TITULUS X.

De his quæ fiunt a Prælati sine consensu Capituli.

1. A primis Ecclesiæ temporibus licet agnosceretur potestas episcopalis supra presbyteris quibus poterant Episcopi imponere leges, tamen mos invaluit, ut Episcopi præsertim in rebus gravioris momenti presbyterorum sententiam exquirerent. Sic ex. gr. cum ageretur de assumendis ad ordines. Hinc cœtus presbyterorum appellabatur Senatus Ecclesiæ. Ita Origenes in *Matth.* Ita S. Hieronymus *lib. 2. in c. 3. Isaia.*

2. Antea omnes clerici dioceseos constituebant hunc senatum, at processu temporis aucto numero clericorum necnon diocesis protractis limitibus, non poterant frequenter adire ad Episcopum clerici omnes Diocesis. Hinc cœtus Episcopo assistens conflagatur ex clericis civitatis episcopalis. Deinde senatus Episcopi constitutus est ex solis canonicis Ecclesiæ cathedralis, qui cum peragerent cum Episcopo majora negotia totius dioceseos majori cœperunt dignitate pollere præ aliis clericis diocesis, et constituere visi sunt unum corpus, cujus caput erat Episcopus. Ex quo patet

cur inducta sit regula juris communis, ut sede vacante, jurisdictio episcopalis Capitulo committeretur.

3. Pro tituli intelligentia animadvertenda sunt duo. 1^o. Nomine praelati praeipue venit Episcopus, et nomine capituli venit capitulum Cathedralis Ecclesiae. Verum quae simul de Episcopo et ejus Capitulo dicuntur applicanda sunt etiam Abbatibus, et eorum Monasteriis, necnon Collegiatis Ecclesiis, et eorum praepositis.

4. 2^o. Animadvertimus consensum tunc revera locum habere, quando capitulares per suffragium de negotio cum Praelato deliberant, ita ut praelatus sub poena nullitatis actorum teneatur sequi sententiam collegii, cujus ipse caput, et praeses existit, idest majoris partis collegii. Hoc in casu Canonici dicuntur habere suffragium deliberativum.

5. Hinc consensus differt a consilio. Nam licet praelatus aliquando debeat pro expediendo facilius, et tutius aliquo negotio, exquirere mentem, et animadvertiones capitularium, tamen non tenetur consilium datum amplecti et sequi. Hoc in casu Capitulares habere dicuntur votum consultivum. Huc referuntur *c. 7. De arbitris* et *c. 1. De capell. Monach.*

Quaeritur quae fiant a praelatis sine consensu capituli?

6. Generica responsio est, ut dicamus Episcopum absque capituli consensu, jure decretalium inspecto, ea negotia peragere potuisse quae ordinaria sunt, idest pertinent ad quotidianam dioeceseos administrationem vel a jure gravissima non reputantur. A jure enim constitutum est, ut Capitulum Episcopum efficaci assistentia, et opere coadjuvet in regimine totius dioeceseos. Episcopus namque et canonici censentur unum corpus constituere cujus caput est Episcopus, membra vero canonici, *c. 4. h. t.* Hinc ex sensu contrario Episcopus non poterit in negotiis, quae in jure gravissima reputantur absque capituli sui consensu procedere.

7. Inter vero haec negotia gravissima ea adnumeranda non sunt in quibus Episcopus procedit potestate non ordinaria sed delegata. Nam in delegatione censetur electa industria personae Episcopi cui commissum est negotium expediendum. Hinc pariter excipi debent negotia quae licet in se inspecta sint gravissima tamen ob periculum in mora differri ad ulteriora tempora nequeunt, et interim Capitulum convocari nequeat ob particulares temporis circumstantias. Ex. gr. si capitulares grassante peste in civitate non commorentur.

8. At quae negotia in specie requirunt Capituli consensum? 1^{um} est alienatio rerum immobilium vel mobilium praetiosarum pertinentium ad Ecclesiam, vel Capitulum *c. 1. h. t.* 2^o. Requiritur consensus Capituli quando contrahenda est obligatio ab Ecclesia ex. gr. ex deposito, fidejussione, aut mutuo *cap. 1. De deposito. 4. De fidejuss. et c. 2. De location.* Verum quoad duo exposita capita res immutata est per const. *Ambitiosa* Pauli II. de qua sermo erit in *tit. De rebus Ecclesiae alienandis vel non.* 3^o. Cum agitur de collatione, vel praesentatione ad beneficium quod conferre, aut ad illud praesentare ex speciali lege beneficii Episcopus nequeat absque capituli consensu *c. 6. h. t.* 4^o. Cum sermo sit de suppressione Canonicatum aut unione beneficiorum perficienda propter tenuitatem praebendarum in Ecclesia Cathedrali, vel in Collegiatis insignibus *sess. 24. c. 16. de Ref. Cui concordant capp. 8. De const. et 33. De praeb. in 6.* 5^o. Si extra sacram visitationem procedendum sit ad applicandam poenam contra clericum pertinentem ad Capitulum exemptum sive Ecclesiae Cathedralis, sive Ecclesiae collegiatae, quo in casu Episcopus procedere debet cum duobus membris Capituli ab eodem capitulo designatis. Ita in *c. 6. sess. 25. de Ref. Conf. Bened. XIV. De Syn. Dioc. lib. 13. c. 9. n. 6.* ubi refert plures resolutiones S. Congr. Conc.

9. Quaesitum insuper est pluries a S. Congregatione Concilii utrum sine consensu capituli Episcopus possit indicare Synodum Dioecesanam, vel edere in Synodo posset constitutiones pro sua dioecesi sine consensu Capituli, et responsum est posse utique indicare Synodum dioecesanam absque consensu et consilio Capituli. Relate vero ad constitutiones in Synodo edendas respondit S. Congregatio Conc. Episcopum requirere debere consilium Capituli, non teneri autem obligatione, illud amplecti et exequi. Referuntur haec resolutiones a Benedicto XIV. *De Syn. l. XIII. c. 1. Concordat c. 5. h. t.* Tenetur insuper exquirere consilium Capituli Episcopus in destitutione et institutione clericorum in Ecclesia sua *c. 4. h. t.* necnon in corrigendis et puniendis clericorum defectibus *c. 5. h. t.*

10. Hac vero in re animadvertendum est, haec de jure communi vera esse; at plurimum attendendam esse locorum consuetudinem qua fieri potest ut Episcopus contra capitulum praescribat jura liberae administrationis qua non teneatur exquirere sive consensum sive consilium Capituli. Haec theoria ex *c. 6. h. t.* in quo consuetudo haec dicitur praescriptiva jurium liberae administrationis,

et valida dicitur. Concordat *c. 3. De consuet. in 6^o.* et *c. 31. in fin. De elect.* Quare in praxi regula servari potest quæ ex loci consuetudine inducta est. Conf. Bened. XIV. *De Syn. Diœc. lib. 13. c. 1. n. 8. et seq.*

11. Adnotant autem auctores, titulum præsentem ferme recessisse a moribus hodiernis cum Episcopi fere omnia negotia soleant expedire sine consensu capituli *Conf. Giraldi Jus Pontif. part. 1. Sect. 432.* Verum haud facile admitterem consuetudinem contra ea, quæ in materia tituli præsentis decernit Conc. Tridentinum. Nam S. Sedes præsertim per organum S. Congregationis Concilii Episcopis jugiter inculcat observantiam legum tridentinarum.

TITULUS XI.

De his quæ fiunt a majore parte Capituli.

1. Nomine capituli venit aliquando associatio omnium clericorum qui ad aliquam Ecclesiam pertinent, aliquando vero nomine capituli veniunt solummodo Canonici. Si capituli vocabulum ad sæculares clericos referatur illud sumimus in secundo sensu. Quod si vocabulum hujusmodi ad Regulares referatur, illos comprehendit, qui vocem habent, seu partem habent in exercendis juribus communibus familiæ religiosæ. Nomine igitur Capituli in sensu tituli si de Ecclesiis Cathedralibus et Collegiatis sermo sit, veniunt solummodo Canonici, nisi consuetudo, aut peculiare Ecclesiæ constitutiones aliter postulent. Ita auctores communiter innixi *c. 4. De his quæ fiunt a prælatis*, in quo traditur, Canonicos solummodo, qui fratres Episcopi appellantur, constituere unum corpus cum Episcopo. Hinc quoad suffragium edendum generaliter ad Capitulum non pertinent beneficiati, mansionarii, aliique inferiores clerici servitio Ecclesiæ addicti. Dixi *generaliter*. Nam ex lege peculiari alicujus Ecclesiæ aut ex consuetudine Beneficiati, aliique clerici possunt jus habere interveniendi capitularibus congregationibus, præsertim si massam communem habeant cum canonicis, et agatur de negotiis ad eandem massam spectantibus; quemadmodum censuit S. Congreg. Conc. in causa *Astensi diei 12. Julii 1682.* At ex ipsis canonicis in cathedralibus et collegiatis Ecclesiis et ex religiosis in regularibus Ecclesiis, illi quoad suffragium edendum capitulum solummodo constituunt, qui vocem habent in capitulo. Hinc qui in sacris ordinibus constituti non sunt, cum vocem non

habeant in capitulo ex *clem. 2. De Act. et Qual.* cui consonat *Tridentinum in c. 4. sess. 22. de Ref.* sub nomine capituli in sensu tituli non veniunt. Ex qua dispositione patet clericum saltem non subdiaconum neque ex aliorum concessione admitti posse ad suffragium edendum in capitulo.

2. Hisce præmissis, actus dicitur capitularis quando est positus ex deliberatione capituli legitime congregati. Quoad vero congregationem Capituli animadvertendum est, quædam capitula seu capitularium congregationes celebrari lege ordinaria, et solitis anni temporibus, pro negotiis ordinariis et quæ nimis ardua non sunt Alia vero extraordinaria esse, quæ celebrantur pro extraordinariis negotiis. Pro capitulis prioris generis specialis convocatio non requiritur, pro secundis vero convocatio necessaria est.

3. Convocare potest Capitulum Episcopus, et præter Episcopum convocat capitulum Decanus, aut is ad quem ex vi constitutionum capitularium vel consuetudine spectat. Hisce vero non extantibus, Capitulum convocat antiquior inter Canonicos. Vocari autem debent omnes Capitulares, qui in loco præsentibus sunt et possunt ad capitulum accedere.

4. Aliquando citandi sunt etiam absentes. Doctores cum glossa in *c. 2. De testibus in 6^o. v. Ipsorum* tres casus adsignant nempe 1^o. cum electio prælati facienda est *cap. 42. De elect. et electi potest.* 2^o. In electione novi Canonici et præbendarum collatione *c. 33. De præb. in 6^o.* 3^o. In decernenda cessatione a divinis *c. 8. De off. ordin. in 6^o.* Quod si qui vocari debebat præteritus est, agere potest de spreto, ut quæ acta a capitulo sunt eo absente, rescindantur; *c. 36. De elect. § electionem.* Hinc per se hujusmodi acta capitularia valent *c. 28. § 1. De elect.*

5. Ut vero ad celebrationem capituli procedatur, Canonistæ cum Abbate in *cap. Cum omnes 6. n. 13. De const.* et Fagnano in *cap. Cum ex injuncto 2. De novi operis num.* distinguunt duos casus. Primus est, quando Capitulum convocatum est ab eo qui jus habet convocandi. Hoc in casu vocatis omnibus qui debent vocari illi qui conveniunt, poterunt negotium expedire et absentes censentur uti contumaces, adeoque privantur pro illa vice jure suffragii edendi *c. 19. De elect. et arg. c. 21. § adjicimus de officio Deleg.*

6. Secundus casus est quando nemo adsit, qui jus habet convocandi capitulum, et hoc in casu necesse est ut saltem conveniant

ad capitulum binæ tertiæ partes Capitularium præsentium in loco capituli. Nam universitas non censetur sufficienter repræsentari nisi saltem binæ tertiæ partes membrorum simul concurrant. *L. nulli ex lege plane ff. Quod cujusque Universitatis nomine.* At exceptio facienda est, nisi complementum negotii urgeat, et periculum sit in mora. Quo in casu minor pars debet vocare alios, qui si non accedant, præsentibus possunt decernere de negotio. Nequeunt enim præsentibus jure suo privari ob aliorum negligentiam. Convocatis autem, et præsentibus Capitularibus negotium discutitur, et ex communi seu capitulari deliberatione finitur. Porro ut valor deliberationis capitularis rite determinetur duplex est distinguendus casus. 1º. Quando negotium quod discutitur tangit omnes uti singulos. 2º. Quando capitulares respicit in communi. Jam vero negotium tangit omnes uti singulos 1º. quoties agitur de remissione juris proprii et individualis quemadmodum verificatur quando designantur compromissarii ad eligendum prælatum quo in casu cum singuli habeant jus suffragii cedit quisque hoc jus alicui vel aliquibus personis. 2º. Quoties agitur de suscipienda obligatione prorsus voluntaria et indebita; sive obligatio hæc omnibus imponi velit, sive imponi velit uni aut aliquibus capitularibus ex. gr. contribuendi in aliquo pio opere libero. Hinc si agitur de negotio quod incidit jam sub dispositionem legis saltem in genere non censetur tangere singulos uti singulos sed ipsum capitulum. Exemplum habemus in *cap. 4. h. t.* in quo agitur de portione fructuum a canonicis cedenda ad reparandam Ecclesiam Cathedrali et regula traditur ut negotium expediatur quemadmodum expediuntur negotia quæ omnes in communi canonicos tangunt. Et ratio est, quia ex lege canonica capitulum ligatur obligatione reparandi Ecclesiam Cathedrali fatiscentem. *Cf. Pirrhing h. t. n. 8.*

7. Si sermo sit de prioris generis negotiis, idest de negotiis, quæ tangunt canonicos uti singulos, ut resolutio capitularis valeat, debet ab omnibus et singulis probari 'nam quod omnes tangit ab omnibus probari debet'. *Reg. 25. juris in VIº.* Hæc theoria certa est apud DD. qui citant etiam *cap. 6. De const.* Conferri possunt *Pirrhing h. t. not. 4. circa cap. 4. h. t.*; *Fagnanus comm. ad cap. 1. h. t. n. 12.* et *Pignatelli tom. 10. Consult. 82. n. 5. et 6.* Quare si major pars capituli alicui capitulario ex. gr. Decano vel Archidiacono onus aliquod imponere intendat quod non habebat, puta servitium altaris per turnum, decisio capituli non valet nisi ipsa

persona gravanda onere consensum præbeat. Et quidem si consensum præbeat, ipsa persona onus implere tenebitur, non autem successor ejus. Ratio est quia actualis possessor beneficii facto proprio non potest reddere pejorem conditionem successorum. Ex exposita theoria sequitur etiam, decisionem capituli infirmari ex unius tantum capitularis dissentione, quando negotium omnes uti singulos tangit, quemadmodum notat *Pignatelli loc. cit.*

8. Quod si negotium respiciat omnes in communi seu ipsum Capitulum, sufficit consensus majoris, et sanioris partis capituli; *cap. 1. et 4. h. t.* At quoadusque non probatur, majorem partem insano ductam esse consilio, semper præsumptio stat pro eadem parte majore, ut scilicet sit simul sanior. At in hoc etiam videnda est praxis singularum Ecclesiarum. Potest enim locum habere regula specialis ut numerus determinatus suffragiorum capitularium præsentium necessarius sit pro negotio expediendo quemadmodum ex. gr. verificatur de electione Rom. Pontificis, ad quem eligendum requiruntur binæ tertiæ partes suffragiorum Cardinalium in conclavi præsentium *c. 6. De elect.*

9. Inter ea, quæ a Capitulo constitui solent, quæque speciali mentione digna sunt, recensentur constitutiones capitulares, nec non decreta servitium chori et altaris respicientia. Et primo quidem Capitulum condere potest Constitutiones suas, quæ si fuerint ab Episcopo probatæ, veram legem efformant; ac proinde ligant etiam successores, et perdurant quoadusque non fuerint revocatæ vel reformatæ. Revocatio autem seu reformatio fieri debet a Capitulo cum consensu Episcopi, si fuerint ab Episcopo confirmatæ. Quemadmodum enim fert *Reg. 1. Juris in Decret. Greg. IX.* 'Omnis res per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur'. Ob eandem rationem si Constitutiones capitulares fuerint a S. Sede in forma specifica confirmatæ, revocari aut corrigi nequeunt inconsulta eadem Apostolica Sede. Qua in re animadvertimus in Synodo romana *ann. 1725. tit. 2. capp. 4. et 5.* legem latam fuisse, qua cavetur, Capitula sive Cathedralium sive Collegiatarum Ecclesiarum suas Constitutiones intra sex menses condere debere, easque proprio Episcopo exhibendas esse confirmationis obtinendæ causa. Hæc autem dispositio extenditur ad omnia Capitula etiam extra Provinciam romanam existentia. Quare S. Congregatio Concilii sive in generalibus conciliis, sive in responsionibus ad rela-

tiones Episcoporum super statu Diocesum, quoties occasio verificatur, solet inculcare ut præfatæ dispositioni pareant ea Capitula, quæ propriis constitutionibus carent. Potest insuper, uti diximus, Capitulum decreta condere, quæ internum regimen respiciunt, vel quæ moderantur servitium chori et altaris; at in his condendis non potest Capitulum lædere jus tertii quæsitum uti supra demonstravimus, nec obviare potest juri communi, aut Constitutionibus suis a Superiore confirmatis.

10. Ultimo loco quæritur an Canonici in electionibus sive ad aliquod officium in Capitulo sive ad aliquam præbendam seu Cappellaniam cujus collatio ad Capitulum pertinet, suffragium dare possint alicui consanguineo.

Responsio datur in lege *Illud* et in lege *Item Dig. Quod cujusque Universitatis* ubi Juris consultus hæc habet: 'Prodest suffragium patris filio, et filii patri, item eorum, qui in ejusdem patris potestate sunt: quasi Decurio enim illud dedit suffragium, non quasi domestica persona: in iis quippe, quæ juris publici sunt, præsumitur, quod magis ad bonum publicum moveatur, quam ex alia causa particulari affectionis'. Huic legi adhæsit S. Congregatio Concilii in quæstionibus sibi propositis. Sic ex. gr. in causa *Pisana diei 19. Sept. 1713*, cum ad præbendam vacantem a Capitulo conferendam concurreret clericus consanguineus cujusdam Canonici Del Bono, quæsitum fuit a S. Congregatione 'an Canonici del Bono ab electione de qua agitur rejiciendus sit a ferendo suffragio in casu'. Sacra autem Congregatio respondit 'Negative'. Pariter in causa *Turetina diei 1. Martii 1834* proposito dubio 'An et quomodo jure suffragii gaudere debeant Canonici intra tertium gradum propinqui concurrentium ad Cappellaniam in casu', responsum fuit, 'Affirmative per orta secreta'. Idem tandem fuit sensus resolutionis ejusdem S. Congregationis in causa definita *die 28. Julii 1865*. (Acta S. Sedis Vol. I. pag. 162.)

At hæc theoria valet vi juris communis, quod non prohibet quominus ex Constitutionibus particularibus vel ex consuetudine legitime præscripta Canonici arceantur a suffragio edendo, quoties agitur de electione vel de negotio aliquo personæ vinculo sanguinis vel affinitatis sibi conjunctæ.

TITULUS XII.

Ut ecclesiastica Beneficia sine diminutione conferantur.

1. Rubrica tituli cum sensum habeat absolutum et præceptivum veram legem constituit. Consonat dispositio tridentina in *c. 5. sess. 25. de Ref.* ubi hæc statuit Concilium: 'Ratio postulat ut illis, quæ bene constituta sunt contrariis ordinationibus non detrahatur. Quando igitur ex beneficiorum quorumcumque erectione seu fundatione, aut aliis constitutionibus qualitates aliquæ requiruntur, seu certa onera illis sunt injuncta, in beneficiorum collatione seu in quacumque alia dispositione eis non derogetur'. Hæc in genere præmittenda erant.

2. Pluribus autem modis beneficia diminutionem possunt pati. De aliquibus jam sumus locuti in tit. 5^o. nunc de tribus pertractandum remanet. Primus modus est, si manentibus pro Clerico iisdem juribus, et redditibus beneficii, nova quædam onera imponantur ex. gr. si beneficii possessori instituendo obligatio imponatur legendi scripturam in Ecclesia, vel Missam celebrandi diebus et horis statutis. Inspecto jure communi et ordinaria œconomia, Episcopus, aut alius inferior quilibet collator non possunt nova onera imponere beneficio vacanti et futuro ejus successori. Hæc dispositio juris insinuatur in intentione canonum, et præsertim in *c. un. h. t.* Traditur autem in *c. 8. De consuet.* et in *c. 7. De Censibus*, in quo Conc. Lateran. III. decernit 'ne ab Abbatibus, Episcopis, vel aliis prælatis novi census imponantur Ecclesiis nec veteres augeantur, sed libertatem quam sibi majores conservare desiderant minoribus suis bona voluntate conservent. Si quis vero aliter fecerit, irritum quod gerit habeatur'. Fagnanus autem com. ad *c. XI. De præb. n. 3.* refert S. Congregationem Concilii respondisse, non posse Episcopum novum onus beneficiis imponere in eorum collatione.

3. In specie autem habemus plures resolutiones ejusdem S. Congregationis in ordine ad onus celebrationis Missarum. Et primo quidem in *Pisavensi 6. Aprilis 1647* (lib. *Decret. 18. pag. 231.*) S. Congregatio respondit: oppidensem oratorem obtinentem beneficium simplex in Ecclesia cathedrali pisavensi cum onere celebrandi Missas duobus diebus cujuslibet hebdomadæ, et aliquibus diebus festis non posse cogi ab Episcopo pisavensi ibidem celebrare vel celebrare facere certis diebus, et horis per eundem Epis-